

fait, mox perversa fuit. Tertio, nesciunt etiam plerumque pauperes uti rebus prosperis, ut in vita Sancti Columbæ presbyteri c. Scoti scribit miro prorsus, non tamen incredibili exemplo Adamannus abbas Huensis, apud Surium 9. junii, c. XXIV. his verbis: « Alio in tempore quidam ad sanctum plebeius venit pauperrimus, qui in ea habitabat regione, qua stagni littoribus Aporici est contermina. Huic ergo miserabili viro, qui inde maritam et parvulos cibaret, non habebat, vir beatus petenti miseratus, ut potuit, quamdam largitus eleemosynam, ait: Miselle homuncio, tolle de silva contulum vicina, et ad me citius defer. Obsecundans miser juxta sancti justificationem, detulit materiam, quam sanctus excipiens, in veru exacuit, quodque propria exacuminans manu benedicens, et alii adsignans inopi, dixit: Hoc veru diligenter custodi, quod, ut credo, nec homini, nec alicui pecori nocere poterit, exceptis feris bestiis quoque et piscibus. Et quamdiu talem habueris sudem, nunquam in domo tua cervinæ carnis cibatio deerit abundans. Quod audiens miser mendiculus valde gavisus, domum revertitur, veruque in remotis terræ infixio locis, quæ silvestres frequentabant feræ, et vicina transacta nocte, mane primo pergit, revisitare volens veru, in quo miræ magnitudinis cervum cecidisse reperit transmissum. Quid plura? Nulla, ut nobis traditum est, transire poterat dies, qua non aut cervum, aut aliquam reperiret in veru infixio cecidisse bestiam, repleta quoque tota de ferinis carnibus domo, vicinis superflua vendebat, quæ hospitium suæ domus capere non poterant. Sed tamen diaboli invidia per sociam, ut Adam, et hunc etiam miserum invenit, quæ non quasi prudens, sed fatua taliter ad maritum locuta est: Tolle de terra veru. Nam si in eo homines, aut etiam pecora perierint, tu et ipse, et ego cum liberis nostris aut occidemur, aut captivi docemur. Ad hæc maritus inquit: Non ita fiet. Nam sanctus vir mihi benedicens sudem, dixit, quod nunquam hominibus, aut etiam pecoribus nocebit. Post hæc

verba mendicus uxori consentiens, pergit, et tollit de terra veru, inter domum quasi amans illud secus parietem posuit, in quo mox domesticus ejus incidens canis disperiit. Quo pereunte, rursum marita: Unus, ait, filiorum tuorum incidet in sudem, et peribit. Quo audito ejus verbo, maritus veru de pariete removens, ad silvam portat, et in densioribus infixit dumis, ut putabat, ubi a nullo possit animante offendi: sed postera reversus die, capream in eo cecidisse et periisse reperit. Inde quoque illud removens in fluvio, qui Latine potest dici Negra dea, juxta ripam sub aquis abscondens, infixit. Quod alia revisitans die, esocem miræ magnitudinis in eo transfixum et retentum invenit, quem de flumine elevans, vix solus ad domum reportare poterat: veruque secum de aqua simul reportans, extrinsecus in superiore tecti affixit loco, in qua et corvus de volatu impetu lapsus, disperiit jugulatus. Quo facto miser fatuæ consilio conjugis depravatus, veru tollens de tecto, assumpta securi, in plures concidens particulas, in ignem projecit, et postea quasi suæ paupertatis amisso non mediocri solatio, remedicare, ut meritus, cœpit. Quod videlicet penuriæ rerum solamen sæpe superius in veru memorato dependebat, quod pro pedicis et retibus, et omni venationis et piscationis genere servatum posset sufficere, beati viri donatum benedictione, quodque amissum miser plebeius eoditatus pro tempore ipse cum tota familiola, sero licet, omnibus de cætero deplanxit reliquis diebus vitæ. » Patet hinc egenos plerumque impotentes esse ad ferendam fortunam ditiores, ideoque eam illis consulto negari a Deo, quomodo militiæ dux dat unicuique arma, quæ quis ferre potest. Et hoc est, quod Dominus dicit Matth. XXV. data unicuique servo talenta: *Secundum propriam virtutem*. Quare bene apostolus, II. Corinthiorum VI. ait: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros per arma justitiæ a dextris et a sinistris*. Potens est enim Anna, id est, gratia Dei, in utroque brachio sustinere nos et ad cælum deportare, si nobis ipsi non defuerimus.

IN FESTO SANCTI LAURENTII.

EVANGELIUM. JOANNIS XII.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Amen dico vobis, nisi granum fumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdit eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministraverit, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit honorificabit eum Pater meus.

CONCIONES.

- I. Fructus eleemosynæ.
- II. Decem tituli, quibus homo ad serviendum Deo obstrictus est.
- III. Servitus Dei qua in re consistat.
- IV. Quomodo Christus et Laurentius granum frumenti fuerit, et quivis Christianus esse debeat.
- V. Lauro comparatur Laurentius.
- VI. Laurentii ignis nobis salutaris.

- VII. Quomodo odisse oportet se et sua.
- VIII. Documenta.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Laurentius vere urbanus et aulicus Hispanus.
- II. Servire Deo optimum.
- III. Eleemosyna commendatur.
- IV. Dilectissima quæque odio habenda, cum a cælo nos impediunt.
- V. Laurentii craticula, lectus nobilissimus.

CONCIO I.

FRUCTUS ELEEMOSYNÆ.

I. Mundat a peccatis. — II. Gloriam parit. — III. Fiduciam præbet coram Deo. — IV. Vitam æternam meretur. — V. Iram Dei exarmat. — VI. Bonis temporalibus auget.

THEMA.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Joan. XII.

Hoc granum frumenti, quod Dominus sibi comparabat in hoc evang. hoc idem comparat apostol. II. Cor. IX. eleemosynæ, cum de ea loquens ait: *Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Optime dixit magister, optime discipulus. Granum frumenti Christus est, quia nisi in terram sepultura cadens mortuus fuisset, solus ipse mansisset, homines non redemisset: quando vero mortuus est, multum fructum attulit. Granum frumenti etiam annona est, quia nisi in sinum pauperum mittatur, ipsa sola manet, imo tandem a vermibus corroditur et avolat: jactata vero

in sinum pauperum, multum fructum affert. Audiamus S. Basilium, orat. in divid. « Quomodum frumentum in terram cadens, lucrum projicienti parit (inquit,) sic et panis in esurientem projectus multam in posterum tibi reddit utilitatem. » Hoc frumentum S. Laurent. in terram jecit, cum thesauros Ecclesiæ sibi creditos jussu Xysti pont. ante martyrium pauperibus divisit, propter quod Ecclesiæ de illo canit: *Dispersit et dedit pauperibus*. Quare pauperum sinus per terram Palæstinam designatus videtur, Genes. XXVI. *Sevit enim Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum: benedixitque ei Dominus; et locupletatus est homo, et ibat proficiens et succrescens, donec magnus vehementer effectus.* Nunquam legitur alia terra fuisse tam fertilis; nec fertilior est mundo præterquam sinus pauperum. Jam igitur si agricolæ terram illam maxime percolunt, quæ fertilissima est: ita et nos terram pauperum libentius exculturos spero, si, quantos ea fructus afferat, perspeximus.

Fructus eleemosynæ non absimiles sunt iis, quos peperit Christi mors.

I. Christus morte sua filios suos nos videlicet omnes vivificavit, et a peccatis mundavit. Hoc facit etiam eleemosyna, teste Raphaele, Tob. XII.

Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata: et Eccl. c. III. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*: imo Christus, Luc. XI. *Date eleemosynam et ecce omnia munda sunt vobis*. Unde eleemosyna à S. Ambr. serm. XXXII. S. Leon. serm. II. de collectis, S. Hier. in Psal. CXXXII. quasi secundus baptismus appellatur, qui pœnam et culpam aufert. Quod posterius intelligendum dispositive saltem, quia instar sirupi disponit cor ad contritionem et impetrat a Deo efficacia auxilia ad gratiam consequendam (non ad proximum et formale antidotum sit peccatorum): quemadmodum dicere solemus de iis, qui iudices vel dominos suos muneribus reddunt sibi benevolos. Non possumus ipsam Dei personam muneribus nobis conciliare et reddere propriam: possumus vero, si propter ipsum demus eleemosynam pauperibus. Hæc est axungia, quæ curram disponit ad facilem progressum, non quod sola axungia faciat progredi curram: debent enim nihilominus equi adhiberi. Unde S. Aug. serm. VI. ad fratres in eremo ait: *Misericordia ad Deum dirigit hominem, Deumque deducit ut habitet in homine*. Cujus rei exempla sunt Zacchæus, cujus liberalitate audita, qua dixerat, Luc. XIX. *Ecce dimidium honorum meorum do pauperibus*: mox adjecit Dominus: *Hodie salus huic domui facta est*. Centuriones duo, prior ille evangelicus, qui quod Judæis synagogam ædificavit, sanitatem puero et sibi impetravit: alter, in Act. apost. c. X. ob suas eleemosynas meruit ab angelo admoneri, ut accerseret Petrum, et fidem ad baptismum suscipere ab illo. Ex quo loco probat S. Aug. de prædest. sanct. c. VII. Cornelium per eleemosynas impetrasse a Deo gratiam fidei et justificationis. Aliud præterea exemplum refertur in vita S. Joan. eleemos. de Petro, cive Alexandrino divite, sed imprimis avaro; ut propter ejus avaritiam sint inter mendicos ortum certamen, unus asserebat se ab eo eleemosynam eliciturum, alter abnuebat. Qui promiserat, accessit cum multo precum ambitu, et dum hominem avertentem sese urgere cœpisset, ad iram concitavit, ita ut furore ardens, repente arreptum panem in faciem postulantis projiceret: qui cum declinasset, ictum sublato pane discedens, se tandem voti sui compotem factum socio nuntiavit. Petrus de hinc ægritudine captus cum aliquot horis exanimis jacuisset, et ad se rediisset, narravit se, ut videbatur, ad tribunal Dei pertractum fuisse, et aliis eum accusantibus, aliis vero defendentibus, peccata ejus in unam libræ lancem appensa fuisse, in altera vero unicum illum panem, quem ipse quondam in pauperem projecerat. Et cum exæquatum utrinque pondus staret, præ-

ceptum illi est, revertetur ac pani superadderet aliquid, quod præponderaret, si multi reatus supplicia cuperet evadere. Exinde quæ cupide conflaverat, libenter cœpit effundere, neminem indigentium excludens, ac demum seipsum vendidit, quo aliorum inopiæ succurret. Quod si ergo nicus panis cum indignatione datus tantam in homine mutationem potuit efficere, quid non efficiet copiosus cum charitate porrectus?

II. Christi mors gloriam illi etiam temporalem in orbe universo peperit, adeo ut ipsum sepulcrum ejus fuerit gloriosum, et ipsa crux ejus ab omnibus coli et adorari cœpta sit. Similiter eleemosyna gloriam et nominis cœlebritatem parit eleemosynario, et conciliat benevolentiam plurimorum, quod ipsi bene precentur, loquantur et Deum propitium reddant. Sic Ps. CXI. dicitur: *In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit, etc. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*: unde S. Chrysost. vocat eleemosynam torquem auream nobilium sanctorum: de qua et Salom. Prov. III. ait: *Circumda eam gutturi tuo, et invenies gratiam bonam coram Deo et hominibus*. Idem Chrysost. in Gen. XI. ait, nos per eleemosynam posse celebrare nomen nostrum, quod contendebant ædificatores turris Babel: « Pecunias tuas, (inquit,) in manus inopum dispensa, relictis lapidibus et splendidis ædificiis. Hæc memoria immortalis, hæc memoria a sarcina peccatorum alleviat, hæc multam fiduciam apud Deum conciliat. Audi obsecro verba, quæ singuli dicturi sunt: Hunc misericordem benignum: hunc suavem largumque dispensatorem. » Subditque: « Tali ergo ædificio nostri memoriam relinquere studeamus. » Hæc ille. Nihil magis mundi principes et nobiles quærunt, quam gloriam sibi parere et nomen suum celebrare: sed præpostere rem aggreduuntur: vestiuntur enim serico, prægravantur aureis torquibus, conglomerant famulos et familiam, alunt equos et canes venaticos, splendida convivia instruunt magnatibus, etc. atque hinc se gloriosos reputant. Sed multum decipiuntur: hæc enim et apud alios inveniunt, hisque longe majora: et qualicumque tandem sint, divitias prædicant, non divites: et post mortem evanescent: *Ubi sunt, qui in avibus cæli ludunt? Exterminati sunt et ad inferos descenderunt*, Baruch. III. Longe aptius medium celebrandi nomen est eleemosyna, quæ quo largior, eo rarior et mirabilior ac celebrior, quæ largitores ipsos etiam post mortem celebrat. Talis Laurentius de thesauris interrogatus, numerosum pauperum gregem ostendit tyranno, dicens: *Ecce isti sunt thesauri, etc.* Cujus factus æmulator Amedæus dux Sabaudia, de quo

alias, magnam sibi laudem peperit. Magnam hinc laudem habent Gallia reges, e quibus S. Ludovicus centum viginti pauperes sibi semper adscivit et iisdem cibis aluit, quibus ipse vesceretur; quadragesimæ vero diebus duplicabat numerum, atque ita annos quadraginta quatuor cum summa nominis sui gloria imperavit. Ex eodem regno Robertus Capeti filius mille pauperes continuo aluit, ejusque jumenta præbuit, ut ipsum, quocumque iret, sequerentur, proque ipso vota facerent: unde contigit ut nemo diutius felicisque regnaret. Consueverunt ejusdem Gallia reges quotidie triginta nummos aureos (tot scilicet quot denariis venditus fuit Christus) in pauperes erogare; atque hinc magnam habent laudem.

III. Christus morte sua promeruit sibi potestatem judicandi totum mundum. At eleemosyna præbet fiduciam et securitatem coram judice illo in articulo mortis. Sic Tob. IV. dicitur: *Fiducia magna erit, coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam*: et Psalm. XL. *Beatus vir, qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*: et Psalm. CXI. *Jucundus homo, qui miseretur et commodat, disponit sermones suos in judicio*: et Jac. II. *Superexaltat misericordia judicium, Græce adversus judicium gloriatur misericordia*, tamquam victrix scilicet. Quia nimirum eleemosyna, ut inquit S. Chrysostom. hom. XXXIII. ad pop. *Christi tribunali adstat, non tantum patrocinans, verum etiam persuadens judici, ut pro reo sententiam ferat*. Quemadmodum ostendit Dominus illa judicii forma: « Venite benedicti, esurivi enim, etc. Habet enim eleemosyna multos intercessores, (inquit S. Hieronymus, ep. ad Neptoliam.) et impossibile est multorum preces non exaudiri. » Exemplum scribit S. Gregorius, homil. XXXII. in evang. de matrona, cui duo martyres habitu peregrinorum, quibus ipsa eleemosynam largiebatur propius adstantes dicebant: *Tu nos modo visitas, non te in die judicii requiremus et quidquid possumus præstabimus tibi*. Et hoc dicto evanuerunt: probabiliter erant SS. Processus et Martinianus in quorum ecclesia id fiebat. Similiter opem præstitisse non ita pridem Carthusianos martyres sub Henrico VIII. Anglia rege, matronæ cuidam agonizanti, quæ eos in carcere eleemosyna et variis obsequiis juverat, refert Cornel. a Lapide, in Deut. c. XXVI.

Et hinc nascitur spirituale quoddam gaudium et internum solatium in homine liberali erga pauperes, ita ut S. Cyprianus, in serm. de eleemos. vocet eleemosynam *grande solatium credentium*. Hoc enim præcipue convenit eleemosynæ, quia per eam Deo simul et proximo gratum præstamus obsequium, eosque nobis obligamus ac

quasi (ut ait Chrysost. hom. XXXII. ad pop.) devincimus; estque opus, quod non obscure, sed apertissime dignoscitur esse bonum. Unde fit ut maximam habeat fiduciam remunerationis in judicio. Cujus exemplum patet in S. Stephano Hungaria rege, apud Surium. Cum enim nocte quadam divino motu instinctu, pauperum gregem viseret, ut pecuniam eis distribueret, ecce pauperes distributioni pecuniæ nimium inhiantes, regi barbam evulserunt. Unde is gaudio ingenti perfusus coram B. Virgine prostratus orat: *Regina cælestis et mea, en quem tu regem constituisti, eum sic honorarunt milites tui. At nunc sciens, hinc mihi parari æternam felicitatem, impense lætor, gratias agens illis piissimi Salvatoris consolatoriis verbis, quibus discipulis suos confirmavit: Capillus, inquit, de capite vestro non peribit*. His dictis cum se vir cælesti gratia et spirituali charismate perfusum sentiret, statuit nunquam pectoris sui ostia opem poscentibus claudere.

IV. Christi mors æternam illi summamque attulit gloriam, ut esset rex omnium cœlitum. Similiter eleemosyna æternam meretur gloriam, si videlicet ab homine justo, et ex charitate fiat; sic Dominus: *Vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus et habebis thesaurum in cælo*. Hanc enim iniiit nobiscum Deus contractus societatem ut pro terrenis bonis, quæ ipsi damus, velit nobis dare cœlestia: sicut commercia nostra sunt cum Indis, non afferimus eis nostra, quæ sunt fere exigui momenti, illi dant nobis sua, quæ sunt maximi pretii, sed apud ipsos propter copiam parvi æstimantur, ut aurum et gemmæ. Multo magis abundat omni genere honorum terra viventium, unde pro nihil ducit Deus ea nobis pro re vili dare, modo nos ei vilia nostra præbere non dubitemus. Unde S. Leo, serm. IX. de jejuniis 10. mensis ait: « Temporale donum in præmium transit æternum: » et Chrysost. hom. XIX. de pœnit. « Mercatura, ait, negotiatioque tua cœlum est, da panem, et accipe paradysum; parva da et magna suscipe; da mortalia et recipe immortalia. » Et quam multa sunt hujus veritatis testimonia.

Testatus Severus Sulpitius, in vita Sancti Martini, quod pro vili tunica, quam pauperi dederat, receperit aliam splendidissimam cœlesti manu sibi factam, dum missam celebraret.

Testatur S. Gregor. lib. IV. dial. c. VI. visa a quibusdam exædificari in cælo tabernacula certis eleemosynariis, aureis lateribus ab omnibus iis, quibus eleemosynas præbebant.

Narrat Eviratus ex Leontio, in prato spirit. cap. CXCIV. de Synesio episcopo, adductus ab eo ad fidem, Evagrium quemdam philosophum, qui cum

sæpius audisset centuplum a Christo promissum, iis, qui sua pauperibus elargirentur, Synesio dedit auri tria centenaria in usus pauperum dicens: *Accipe aurum istud et distribue illud pauperibus et fac mihi cautionem manu tua quod Christus ipsum mihi reddet in futuro sæculo.* Qua accepta, post aliquot annos morti vicinus mandat filiis suis cum ipso chirographum hoc sepeliant. Tertia die post sepulturam apparuit sub quietem Synesio dicens: *Veni ad sepulcrum ubi jaceo et accipe chirographum tuum, accepi enim debitum et satisfactum mihi est.* Aperto igitur sepulcro recepit de manu Evagrii chirographum episcopus, in quo philosophi manu hæc verba exarata erant: « Ego Evagrius philosophus tibi sanctissimo domino Synesio episcopo salutem. Accepi debitum in his litteris manu tua conscriptum, satisfactumque mihi est, et nullum contra te jus habeo, propter aurum, quod dedi tibi et per te Christo Deo et salvatori nostro. »

V. Christi mors Patris iram exarmavit, ut puniret peccatores. Idem suo modo facit eleemosyna: Nam, ut ait S. Augustinus, hom. XXIX. inter L. sacrificium Christiani est eleemosyna in pauperem, hinc enim fit Deus peccatis propitiis. Testem adhuc graviolem vultis? Sanctum Paulum audite ad Hebr. XIII. *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostibus promeretur Deus.* Hinc Daniel suasit Nabuchodonosori: « Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, et peccata eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan (hoc est utique) ignoscet delictis tuis. » Audi Joan. Mosehum, in prato spiritali, c. CLXXV. « Narravit, inquit, nobis quidam patrum de Zenone imp. dicens, quod mulierem quandam in filia ipsius injuriose tractaverit. Hæc autem vacabat in templo domine nostræ S. Dei Genitricis, orans, et deprecans et cum lacrymis dicens: Vindica me Zenone imp. Cum ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei Genitrix dicens: Crede mihi mulier, ultionem tuam sæpe facere volui, sed manus ejus prohibet me. » Erat enim valde misericors, et eleemosynas faciens. Merito ergo ait Eccles. cap. III. *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.*

VI. Christus sua morte velut semen in terram jactum ingentem sibi peperit segetem Christianorum, imo etiam clericis sua bona temporalia, prædia, etc. Ita et pecunia pauperibus rogata nequaquam dantem depauperat, sed temporalibus etiam bonis auget et sæpe centuplum affert. Sic testatur Sap. Prov. III. *De primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redunda-*

bunt: et Prov. XX. *Qui dat pauperibus, nunquam egebit.* Imo hoc promississe videtur Dominus cum dixit, Luc. VI. *Date et dabitur vobis.* Cujus rei specimen edidit, cum ex quinque panibus sibi oblatis, et a se multiplicatis, ac distribuere jussis satiavit ingentem turbam, et præterea affecit ut duodecim corbes pleni superessent fragmentorum. Vidua etiam Sarephthana, quæ modicum farinae et olei Eliæ in eleemosynam tribuit, pro eo recepit plurimum farinae et olei ad longum tempus sufficiens; nam: *Hydriz farinae non deficit, et lecythus non est immunitus,* III. Reg. XVII. Unde S. Augustinus, sermo XXIV. de verbis Domini, ait: *Fecundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum.* Quare S. Cyprianus, in serm. de eleemos. et S. Basil. in orat. ad divit. comparant divitias aquis puteorum, quæ si frequenter hauriantur, semper puriores et copiosiores scaturiunt: si vero immotæ servantur, putrescunt et decrescunt. Idem expresse habet Isaias, cap. LVIII. cum ait: *Cum effuderis esurienti animam tuam, etc. Eris sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Cujus rei non pauca referuntur exempla apud Gregor. Turon. lib. III. hist. Fran. apud Leont. in vit. S. Joan. eleemos. apud Sophron. in prat. spirit. cap. LVIII. et CCI. Unum de muliere Nisibena christiana, quæ suaserat marito gentili ut pecuniolam suam pauperibus ad usuram daret. Quo facto cum egere cœpissent, forte coemerunt pisces, in quo pretiosissimam reperiere gemmam, quam vendentem centuplo plus quam erogaverant consecuti sunt: indeque vir conversus. Alterum de juvene aurifabro, qui crucem auream jussu magistri fabricandam acceperat, quam vir quidam patricius fieri curabat, Ecclesiæ dedicaturus. Cum enim juvenis cogitaret, quantum sibi vir ille expenderet pro donario Ecclesiæ, ipse quoque suæ mercedis pretium subductis rationibus addere cogitabat, velut vidua illa duo saltem minuta. Examinata cruce et ponderosiore inventa, quam aurum traditum foret, suspicabatur primo patricius fraudem forte factam in auro adulterato: sed intellecto juvenis facto et voto, eundem adoptavit et honorum suorum hæredem instituit. Aliud refert Paulus diacon. lib. XVIII. de gestis Rom. de Tiber. XI. imperat. qui cum omnia sua ad pias causas expendisset, eo pene redactus est, ut sumptus mensæ principali deessent. Ob quod Sophia Augusta (Justini imp.) ei moleste insultabat. Sed respondit ille: *Non deerit Deus vel pecunia fisco nostro, thesaurizemus in caelis, et nihil nobis deerit in terris.* Postea in palatio deambulans, vidit in pavimento tabulam marmoream humi stratam, cui signum crucis insculptum

CONCIO II.

DECEM TITULI QUIBUS HOMO AD SERVIENDUM DEO OBSTRUCTUS EST.

I. Creatio. — II. Obsequia in bonum hominis. — III. Conservatio. — IV. Incarnatio. — V. Redemptio. — VI. Merita Christi. — VII. S. eucharistia. — VIII. Beneficia privata. — IX. Adoptio et jus ad vitam æternam. — X. Professio christianismi.

THEMA.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Joan. XII.

Mirum et miserandum est, quod bruta animalia, licet fines suos, ad quos a Deo creata sunt, non cognoscant, ad eos tamen rectissime et sine errore maximoque conatu, quam primum etiam nata sunt, ferantur; solus homo ratione præditus finem suum partim non agnoscat, partim non curet vel quærat. Si quis enim catellum recens natum, vel murilegium dimittat, nequaquam ad silvas current, sed ad ædes hominum, et ibidem mox incipient, ille dominum sibi quætere eique inservire et ædes privilegii latratu custodire: hic vero muribus domesticis insidiari. Dimittat contra vulpeculam aut lupi catulum: statim ad silvas current, ibidemque se abdentes insidias parabant, illa anseribus et gallinis, hic ovibus, etc. Similiter aranea et apicula, quam primum nata sunt, illico nullo magistro, hæc e floribus mel, illa venenum sugit; hæc favum concinnabit, illa retia texet et muscas aucupabitur mirabili industria. Nec minus alia animalia ad amussim tendunt rectissime ad fines suos. Solus homo ratione præditus non videtur agnoscere finem suum. Hinc enim tam multi errores gentilium, dum alii dicebant finem hominis esse, contemplari cœlum et solem; alii edere et bibere et sectari voluptatem; alii alia. Et quamquam lumen ipsum naturale satis dictat, factum esse hominem, ut serviat Deo suo: idque multi intelligunt: ad hunc tamen finem suum pauci admodum tendunt se ipsos impellendo. Indigemus multis stimulis, quibus ad hoc instigemur, multis promissionibus, quibus alliciamur, quod in hodierno evangelio fecit Dominus, cum dixit: *Si quis mihi ministraverit me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit: et rursum: Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Indigemus denique multis argumentis et motivis, quibus persuademus. Quæ cum multa et fortissima sint, proponenda mihi visa sunt.

I. Primus titulus est creatio, et hic triplex. Est enim Deus causa nostra efficiens, quia non ex

erat. Quam cum elevari jussisset, ne crucis signum pedibus tereretur: alteram similem, et sub ea tertiam eadem cruce insignitam reperit. Quibus omnibus sublatis, ingentem reperit thesaurum, ad coronatorum fere millionem, quam summam cum brevi in pauperes et Ecclesias largiter effudisset, rursus majorem acquisivit thesaurum, defossam a Narsete eunucho, senis cujusdam indicio patefactum: cui effodiendo multis opus fuit diebus. Aliud refert Leontius, in vita S. Joan. eleemos. de patrefamil. qui cum esset tenacior, mandavit famulo ut se inscio, quolibet die quinque denarios daret pauperibus, diffidens sibi, ne fortassis a tenacitate vinceretur. Famulus dum id agit, sensit rem domesticam augeri, et audacior factus duplicavit denarios et animadvertit multo majus sænus quemadmodum et ipse herus, qui famulum adiens: « Animadverto, inquit, quod ob quinque denarios quos pauperibus quotidie distribuimus, singulariter nobis divina largitas benedicat, unde jubeo ut decem de cætero distribuas. » Ad quod ille: « Imo ita jam aliquamdiu etiam non jussus feci, » re ipsa namque comperiens divinitus opes multiplicari.

Qua ex re apparet non vanam esse Chrysost. sententiam, quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima, super qua scripsit, hom. XXXIII. Quot enim non quæstus parit? Parit remissionem peccatorum et gratiam, gloriam et celebritatem apud homines, amicos et defensores in diem necessitatis, vitam æternam et temporarium denique honorum copiam. Quid ultra desideretur?

Errant igitur toto cælo qui cum ethnicis dicunt vel sentiunt, perire, quidquid egentibus datur. Quam impiam sententiam refutat Lactantius Firmian. I. VI. c. XI. Verissime enim dixit Salomon, Prov. XIX. *Feneratur Domino, qui miseretur pauperis et vicissitudinem suam reddet ei.* In quæ verba ait S. Basilus, conc. II. in Psal. *Cum pauperi dare voles propter Dominum, idem est et donum et mutuum. Donum quidem quia non speras receptionem: mutuum vero propter Domini magnificentiam, qui pro ipso persolvit et paucis per pauperem acceptis magna reddit.* Ergo quisquis superquæstuosam hanc artem exerceat, præsertim vera divites, qui cum alias artes laboriosas addiscere et exercere nolint, saltem hanc addiscant, sibi non modo salutarem, verum et gloriosam. Certe in die judicii severe examinabuntur, num artem hanc exercuerint. Et vae illis, si non, quia audient: *Discedite, etc.*

nebris nihili et profundissima abyssus, et in hanc essentiam et naturam eduxit. Est causa exemplaris; quia nos ad imaginem et similitudinem suam fecit: est causa finalis, quia ad seipsum tanquam ad proprium finem nostrum nos condidit et ordinavit, ut scilicet serviamus ei. Ratione primae magis Deo subijcitur, quam filius parentibus, mancipium Domino, jumentum possessori, statua sculptori, et vas figulo, parentes enim corpus tantum filio tribuunt. Dominus in servi corpus tantum potestatem habet, sculptor aut figuram solam externam figuram rebus arte factis tribuit; Deus vero usque ad fundum penetrans, totum hominem produxit, eique totum quod habet esse tribuit. Quare sicut filius obligatur ad servendum, et amandum patrem, et in necessitate ab eodem vendi potest juxta leges; sicut Dominus de suo mancipio vel jumento; opifex de suo opere, statuere potest pro arbitrio, eoque prout libet, uti: sic e potiori potest nos Deus extollere et deprimere, percutere et sanare, occidere et vivificare, salvare et condemnare. Unde Dominus: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timeate eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*, Matth. XIX. et Job. c. XI. *Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quin contradicet ei; vel quis dicere potest: Cur ita facis?*

Ratione secundi, ita ei subjecti simus, sicut imago suo prototypo. Unde sicut totum imaginis officium est, exprimere et representare suum exemplar, ita tota hominis functio et munus est imitari Deum ejusque perfectiones, quantum potest; sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam, etc. Est enim homo imago Dei viva, non mortua.

Ratione tertii nihilominus ei servire obligamur, quam corpus animae, jumenta Domino, domus suo architecto, vinea suo cultori et plantatori. Quis enim emit jumentum aut mancipium nisi ut servitio ejus gaudeat. Quis aedificat domum aut plantat vineam, nisi ut illius usu et hujus fructibus perfruatur? Fecit autem Deus hominem ut ab illo cognoscatur, ametur, timeatur, honoretur, laudetur, praecepta sua serventur, et omnia ad gloriam suam fiant, id quod est, servire Deo. Quod si nos potestatem habemus in creaturas inferiores, quia propter nos velut finem factae, et si pro libitu cum eis agimus; eas etiam, quae nobis parum aut nihil servire videntur, exterminamus: quanto majus jus ex hoc titulo in nos habet Deus, maxime exterminandi nos, si non serviamus ei. Propter ipsum enim intrinsece sumus, et secundum substantiam ipsam: ipse praeterea noster creator est, etc.

II. Secundus est, quod omnia quae in mundo sunt, in bonum et obsequium hominum deputavit, ubi triplex etiam beneficium continetur. Primo enim, mundum totum creavit in nostrum commodum; siquidem angeli corporeo hoc mundo non indigebant. Secundo, mundum praeterea totum nostri causa assidue laborare et perpetuo nobis servire fecit. Nobis enim gyrantur caeli, nobis splendet sol, lucent astra, flant venti, coguntur nubes, destillant imbres, labuntur flumina, stant maria, fecundatur aqua, germinat terra, et parturit omnis rerum natura. Unde Dominus: *Solem suum oriri facit super bonos et malos: et pluit super justos et injustos*. Non vescimur quidem muscis, sed vescimur tamen avibus, qui nutriuntur illis: non vescimur nos herbis, sed vescimur tamen bobus, qui pascuntur illis. Et vide quid Deus agat, ut bolum panis, quem comedis, tibi det; providet motum caelorum et elementorum, labores ejus qui terram coluit, frumentum seminavit, messuit, trituravit, collegit: ejus item qui illud moluit, pinsuit, ejus qui ad mensam portavit, vel forte liberaliter tibi donavit. Ad unicam vestem tuam, quot creaturae operam suam contulerunt, donec eam indueres? Tertio, angelos multo nobis praestantiores ad custodiam nostram deputavit. Quae cum ita sint, qui non videt quanto jure Deo obligemur? Si enim ille totam hanc mundi domum tuam vastam et tam instructam omnis generis apparatu, nobis aedificavit et commodavit, quis non illi censum reddat perpetuae servitutis? Si illius imperio et impulsu sine intermissione omnia nobis serviunt, laborant et fatigantur: imo ipse in et cum illis, velut causa prima et opifex cum instrumentis: quis non vicissim illi totis viribus serviat? S. Martinum legimus subinde famulo suo inservisse, calceamenta detraxisse et tersisse: quid igitur putamus fecisse illi vicissim famulum? Denique, si nobilissimos illos regni sui principes ad tutelam nostram ablegavit, ut essent nostri satellites: quot obsequii genua ei non debemus? Praesertim cum haec omnia fecerit, ut nos ad obsequium suum alliceret? Si cui peregrino adventanti princeps civitatis omnes suos famulos et aulicos mitteret, ut ei inservirent, quid putas, faceret peregrinus ille principi? Unde S. Augustin. l. X. conf. c. III. ait: «Caelum et terra et omnia quae in eis sunt, ecce undique mihi dicunt ut te amem: nec cessant dicere omnibus, ita ut sint inexcusabiles.»

III. Tertius, est conversatio. Non enim solummodo creavit nos Deus, sed etiam perpetuo conservat in esse. Neque enim ita res a Deo factae sunt, ut possint per se solae consistere, sicut domus semel facta, abeunte artifice perse stat: sed

opus est assidua conservatione earundem, sine qua ne ad momentum quidem poterunt subsistere. Eam vero quadruplici modo possumus concipere. Primo, per modum sustentationis, quasi mundus et creaturae Deo velut firmissimo fundamento innitantur, quo sublato in centrum nihili sui recidunt; sicut vitrum supra manum, qua subtracta statim corrui: sic S. Dionysius vocat Deum: *Omnia tenentem; fundum et fundamentum*, libro de divin. nominibus, c. X. Secundo, per modum suspensionis. Deus enim per creationem trahit creaturam ex nihili abyssu rursus, et per conservationem ibidem suspensam tenet, velut pondus; quod alioquin mox decideret, si a manu dimitteretur. Unde Is. XXX. dicitur: *Quis appendit tribus digitis molem terrae? Et Hebr. I. dicitur: Portans omnia verbo virtutis suae*. In quem locum Sanctus Anselm. in cap. I. ad Hebr. ait: *Portat omnia, id est, rursus tenet, ne decendant et in nihilum revertantur, unde creaturae ab ipso fuerant: et sustentat ea non labore et difficultate, sed imperio suae potentiae*. Tertio, per modum influxus et subministrationis. Sic Deus dicitur omnium esse: *Vita et spiritus oris nostri*, Thren. IV. quia sicut non sufficit solem semel ex se lumen fudisse, sed debet id conservare continuo a fluxu: a quo si vel per momentum cesset, totum extinguetur, sicut spiritu intercluso et respiratione impedita statim extinguitur animal; sicut organum aut tibia utricularis, nisi continuo subministretur aer mox conticescit; sicut horologium, nisi a pondere continuo moveatur, illico quiescit: sic Deus est vita nostra et essentia omnis creaturae. Quarto, per modum constrictionis: ut enim res fluxa, nisi assidue constringatur in vase, v. g. statim diffluit et dissolvitur: ita nisi Deus interius constringat omnium rerum particulas, omnes in nihilum solvantur. Quo circa si Deus singulis momentis confert et omnibus creaturis totum illud bonum, quod semel in creatione cedit: profecto singulis momentis obstringit nos ad obsequium suum. Neque enim necessario, sed libere conservat, sicut non necessario, sed libere creavit. Singulis momentis subtrahere se mundo et subtrahere nihilum potest, sistere influxum suum potest, cessare a constrictione partium potest, et totus in nihilum ruet. Unde optime S. Ambros. l. de dignitate hum. condit. c. II. ait: «Sicut non potest esse momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia, ita nullum debet esse momentum, quo praesentem eum non habet in memoria.»

IV. Incarnatio, Deus enim nostrae salutis causa naturam et miseras nostras (absque tamen peccato) voluntarie assumpsit et in eo summum

potentiae suae fecit; necnon triginta tribus annis in terris conversatus est, nullo suo commodo, imo maximo suo incommodo: nam famem et sitim, frigus et calorem, labores et fatigationes, dolores et contumelias omnisque generis calamitates mortalium sustinuit, ut nobis viam salutis ostenderet et exemplum sibi serviendi praeberet. Non indignus ille orandi studio, jejunandi severitate, circumcissione, baptismo aliisque operibus humilitatis, obedientiae, patientiae, omnia nostri causa fecit, ut exemplo suo nos alliceret ad viam vitae aeternae. Jam si quis rex deposito regio cultu et plebeo indutus habitu Turciam intraret et ibidem multo tempore pateretur, faceret et tentaret, quo mancipium suum ibi captivum liberaret: quod quaeso huic domino suo mancipium non deberet? At infinitis partibus majus est, quod fecit Deus. Unde merito S. Bernard. serm. de quadrupl. debito ait: «Quid tibi durum vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quod ille in forma Dei in die aeternitatis, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus, splendor et figura substantiae Dei, venit ad carcerem tuum, ad limen tuum, infixus usque ad cubitos (ut dicitur) in limo profundi? Quid non suave tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, et rememoraberis primo, quidem illarum infantilium necessitates; deinde, laborum quos pertulit in praedicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, etc.» Sic ille. Quaelibet Christi actio nostri causa suscepta fuit infiniti meriti: nihil ergo est, quidquid rependimus.

V. Redemptio a servitute peccati, diaboli et mortis, per mortem et passionem Christi. Per peccatum enim subditi eramus peccato, diabolo et morti aeternae: a quibus Christus non liberavit, non pretio vulgari exhibito, neque pugnando et occidendo, sed pretio sanguinis sui patiendo et moriendo. Quorum utrumque infinitam a nobis postulat et gratitudinem et servitum, quia nimirum ab infinitis et aeternis malis nos liberavit: et quia infinito pretio. Unde si omnes vitae hujus labores et supplicia perferremus et soli praestaremus, quidquid praeteriti omnes sancti fecerunt, nulla adhuc compensatio foret: quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Igitur ex hoc capite Deus servitium nostrum triplici jure exigit; primo jure victoris; qui enim legitimo praedio hostem vincit, jure belli omnia ejus bona capit, arma, captivos, servos, spolia, uti Dominus, Luc. XI. hac de re loquens asserit. Ideo: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, ut ait David, Ps. LXVII q. d. ex captivitate diaboli abstractos

fecit captivos suos. Secundo, jure emptionis, quia cum a justitia ad servitum illam condemnati essemus, solus ille pro redemptione nostra pretium dedit quod solus dare poterat, unde merito de servitute illa tyrannica, ad suam servitum paternam, quæ verissima est libertas, nos transtulit. Hinc in ss. libris vocamur *empti et redempti*, I. Cor. VI. ad Romanos, III. I. Cor. I. Ex quibus sequitur jus tertium, compensationis videlicet, ut vicissim serviamus ei, qui nos a tam dira servitute eripuit. Unde Bernardus, sermone de quadrupl. debito ait: « Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro tua et cruciatus amarus sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. » Et quid magnum hic a nobis exigit. Vult excusso gravi dæmonis jugo suave ejus jugum in nos suscipiamus: vult ut abdicatione tyranno, ipsum in Dominum nostrum acceptemus: vult ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria quæ militant adversus animam, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo. Quid suavius, quid æquius, quid minus a nobis exigere poterat?

VI. Est thesaurus meritorum Christi, et infinite miserationis inde nobis impensæ. Hinc enim sacramentorum vis et efficacia, hinc indulgentiæ, hinc operum nostrorum valor et meritum vitæ æternæ, hinc omnis nostra satisfactio, reconciliatio, justificatio, adoptio, glorificatio. Quoties a peccatis resurgimus, quoties pœna nobis remittitur, quoties opus bonum in gratiæ statu facimus, toties nobis thesaurus ille communicatur. Quod bene novit dæmon, propterea per ministros suos hæreticos tanto conatu nititur evertere vascula illa salutifera, sacramenta inquam, indulgentiarum distributionem et bonorum operum exercitium. Jam vero quid ei nos deberemus dicere, qui omnes nostros morbos, quoties indigemus, curaret, et remedium generale contra omnes daret? Quid illi, qui omnes nobis pœnas jure aliqui decretis prævaricantibus donaret? Quid illi, quia omnia nostra verba, cogitationes et opera ita gratiosa et accepta faceret, ut singula mererentur favorem principum et ingentia donaria? Fecit hoc nobis Christus. Vide num tu ei non debeas servire. Præsertim quia facillimum esse voluit, haurire ex thesauro illo, solam displicentiam peccatorum cum proposito emendationis requisivit: neque ad hujus thesauri applicationem et communicationem requisivit perfectam contritionem vel dilectionem Dei, sed rudem tantum et imperfectam animi dispositionem per attritionem cum extremo aliquo ritu, etc.

VII. Est memoriale eucharistiæ in qua seipsum

nobis totum dedit in cibum et potum, ut sic totum suum spiritum in animam nostram transfunderet, et in corpus immortalitatem; utque sic in nobis ipse maneret et nos in ipso, ut unum cum ipso intime fieremus. Non satis erat Christo dedisse se nobis in socium, in amicum, in magistrum, in ducem et exemplum, in redemptorem, in pretium, in hostiam et sacrificium: sed præterea se nobis dedit in cibum et potum, in alimentum vitæ æternæ, non ut ipse in nos miseros et mortales transformaretur, sed ut nos in ipsum beatum et immortalem. Quis hoc audiens, non obstupescat et cum Hebræis manna de cælo defluum videntibus non exclamet: *Manhu?* Quid hoc? *Quis loqueretur potentias Domini*, exclamat hac de re, S. Chrysost. hom. X. ad pop. Antioch. « Auditas faciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, et per omnia nos sibi coagmentat. » Cur igitur non et nos vicissim debeamus Deo tradere in famulum? Plus enim est dare se in cibum, quam in famulum. Ad quid excusationes poterimus obtinere, si studia et cogitationes nostras alio converterimus. An nescimus, qualem Deo cultum famulatumque voverit Jacob ob victum et vestitum, tantum et reditum in patriam? « Si fuerit Deus mecum, (inquit), et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi pamen ad vescendum et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, » (h. e. promitto quod eum in posterum colam speciali et majore cultu, quam unquam antea): *Et lapis iste quem erexit in titulum vocabitur domus Dei* (id est, super eo sacrificabo Deo) *cunctarumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi*, Genes. XXVIII. Quod si ergo Jacob pro pane et vestimento specialiter sibi colendum putavit Deum, quid nos illi debemus pro pane eucharistico, quo et in anima reficimur et spiritualiter vestimur? Id quod datur immensum est; is qui dat immensus est; charitas, cum qua dat, immensa est; fructus qui inde percipitur, immensus est; homo vero qui hoc donum percipit, minimus vermiculus est.

VIII. Beneficia privata et specialia sunt, et hæc multiplicia, tum spiritualia, tum corporalia, fortunæ et gratiæ. Fortunæ sunt: quod infans non sis extinctus in utero matris; quod non sis natus ex parentibus infamibus, illegitimo thoro, hereditario morbo infectis, corpore vitiatis, magis et veneficis, mendicis, nebulonibus, etc. quod a parentibus piis educatus, magistris probis et

catholicis ad educandum traditus; quod severe disciplina educatus et a pravorum societate abstractus, etc. Gratiæ sunt: quod tempore gratiæ natus, quod a catholicis parentibus, quod lacte Ecclesiæ catholicæ enutritus et in ejusdem gremio semper perstiterit; quod occasionem nactus, multa bona in concionibus audiendis, vel quod nactus præceptores et magistros pios. Magis arcana et unicuique propria sunt, ut quod ab hæresi conversus, in fide perstiteris etiam post graves tentationes, indeque a gravibus peccatis præservatus, vel misericordia Dei erutus; quod sæpe ad penitentiam expectatus; quod a multis periculis subitæ mortis ereptus, et alia innumera, quæ si æqua lance ponderaris, quomodo non obligatum te invenies ad serviendum Deo tota vita et totis viribus, etsi mille annos viveres.

IX. Adoptio divina et consequenter jus ad vitam æternam. Quid tanto beneficio possit a nobis digne rependi? Si quis rex rebelles servos, milites mortem commertos, in gratiam reciperet, et insuper in filios adoptaret, eosque regni sui hæredes constitueret, modo fideliter ei servirent, quis non obtupesceret ad tantam liberalitatem? Et quis non damnaret servos illos, si suis se voluptatibus et lusibus addicere potius quam regio servitio? Videmus sæpe milites pensiunculam annuam post diuturnos militiæ labores a principe accipere, et infinitis gratis actis, reliquum vitæ ipsius dedicare obsequio et nunquam non cogitare de principis sui honore tuendo et imperio amplificando, paratos etiam esse quibusvis periculis se obijcere, ubi de ipsius honore vel imperio agitur, et nos adoptati a cæli rege et ejus hæredes designati non erimus solliciti de honore ejus tuendo et amplificando et de cultu ei debito! Et quid sunt opera et obsequia nostra, si cum illa hæreditate nobis promissa comparentur? In hoc. ev. ait Dominus: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi ego sum, illic et minister meus erit: vult dicere, fore ministrum ejus in cælo, ubi ipse tunc erat secundum divinitatem. In quem locum S. Aug. tract. LI. ait: « Quem majorem honore accipere poterit adoptatus, quam ut sit, ubi est unicus, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati, etc. »* Addit etiam hoc: « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. » Quanta hæc promissio? Perpende quam gloriosum fuerit Mardocheo, quod a rege ipso tamquam servus ejus fidelis fuerit honoratus, ut regio equo impositus regioque cultu adornatus fuerit circumductus a primate regni clamante: *Sic honorificabitur, quemcumque voluerit rex honorare*, Esth. VI. Quid vero hi honores cum cæles-

tibus collati, qui Dei servus sunt parati? Quid Assuerus rex ad Deum: si ergo sic honoravit unicum servi obsequium rex terrenus, quid erit in cælo honorificari a rege cæli? Itaque certus esto, te potius tibi ipsi servire et consulere, cum Deo servis.

X. Professio christianismi, quam in baptismo fecimus. Ibi enim renuntiavimus diabolo et pompæ ejus, sæculo et voluptatibus; vicissim Christo fidem dedimus et servitio ejus nos mancipavimus. Unde S. Hieron. ad Psal. CXXXVIII. ait: « Pactum fuit Israeli cum Deo, quando dixit ad Moysen: Omnia quæcumque dixerit Dominus faciemus: sed et tunc nos paciscimur in baptismo, ut abrenuntiemus diabolo et operibus ejus. » In baptismo exuimus veterem hominem et induimus novum. Vita hominis veteris est vita sæcularis et amor mundi: vita hominis novi est imitatio Christi et amor Dei. Cum religiosus facit professionem, scribit sua manu cautionem, servaturum sese vota et regulas religionis traditque superiori: similem etiam tu tradidisti Deo. Unde Ambr. in l. de iis qui mysteriis initiantur, c. II. ait: « Renuntiasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriæ ejus ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumultu mortuorum, sed in libro viventium: præsentibus angelis locutus es; non est fallere, non est negare. » Quæ cum ita sint, quis non videt quam obligati simus Deo? « Quis, (inquit S. Bern. ser. de quod. debito) amplius grunniet dicens: Nimum jejunamus, nimum vigilamus, cum nec millesimæ, imo nec minimæ parti debitorum suorum valeat respondere? » Et superius: « Cum ergo ei donaveris quidquid sum, quidquid possum, numquid istud sic est, sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, corpus et animam, vel potius unum minutum voluntatem meam, et non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? » Quia ergo tanto jure et tot nominibus Deo obstricti sumus, dicamus cum Davide: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillæ tuæ*. Singulis his titulis totos nos Deo debemus, quomodo satisfacimus omnibus: *Si totum me debeo Deo pro me facto, quid dabo pro me refecto?* ait Bern. alibi. sed nimirum Deus optimus memor imbecillitatis nostræ, non exigit quantum ei debemus: sed quantum dare possumus. Demus itaque ei saltem minutum unum, bonam voluntatem.